



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

S. Amandi Coenobium Elnonense in Pabula, tertio milliari à Tornaco  
Neruiorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

VInCVLa fVnt Petro, MonaCho qVæ  
VInCVLa toLLVnt.

An. 1540.

**A**Nno autem post tertio, ipsum cœnobium Bauonicum Carolus V. Imp. primo fundamenti saxo per funem inter obequitandum demisso, tutanda vrbi, in arcem conuertit, & Canonici ad S. Ioannis basilicam tunc parœcialem, nunc cathedralem, commigrarunt, R. D. Carolo Croio, Tornacensi Episcopo ipsos deducente, & Diuorum corpora eodem solemniter transferēte.

Huius Bauonici cœnobij ( non autem Blandiniensis, vt Meyerus existimauit ) Abbas VIII. fuit Hildebertus, qui pro tuendo sacrarum imaginum cultu, à fautoribus Constantini Copronymi Imp. iconomachi, est interfectus. Abbas porro XV. fuit Eginhartus seu Einarodus, Caroli Magni Imp. Cancellarius, vir scriptis editis clarissimus, qui S. S. Marcellini & Petri martyrum reliquias Roma Gandauum transferendas curauit, & an. Christi octingentesimo quadragesimo quarto obiit.

S. AMANDI

Cœnobium Elnonense in Pabula, tertio milliari à Tornaco Neruiorum.

An. 634.

**A**Nno incarnati verbi ICCCXXXIV. Dominus Amandus Traiectensis Episcop. à Dagoberto Clotharij II. Filio, Francorum Rege Christianissimo, pro monasterio construendo, locum, vulgò à circumfluente fluuiolo Elnone vocitatum, supplex petijt, & cum filua, aquis circumiacentibus &

pascu-

pascuis munificentiæ regiæ beneficio obtinuit. Donatio ipsa Parisijs ciuitate facta est Kalendis Maij, an. XI. Domini Dagoberti, cuius tenor in archiuis nostris vsq; in præsentem diem conseruatur. Loco igitur prænominato, inter duos fluuios Scarp & Elnonẽ sito, obtento, mox pater sanctus monasterium inchoauit. Ecclesiam igitur, licet paruam, ad honorem Diui Andreæ Apost. erexit & consecrauit, in qua ante altare Diuæ Virginis post plura lustra idẽ vir Dei Christo spiritum reddidit. Primus igitur Abbas fuit ipse Amandus genere Aquitanus, Traiect. ad Mosam Episc. vir sanctissimus, gemina scientia, diuina & humana præditus, elegantia plusquam Tulliana, Deo & hominibus dilectus.

Inchoato ergo à B. Amando Elnonensi cœnobio, de grege sibi cõmisso sollicitus Traiectensem suã diocesim visitare disposuit: antea tamen Elnone vices gerentẽ suas in Abbatẽ suum ordinauit discipulũ, nomine Vrsum, qui annis aliquot laudabiliter rexit, ac tandem beato fine quieuit. Cui à B. Amando ordinatus successor S. Ionatus, vir modestissimus, ipsius monasterij monachus, quẽ pridẽ Marchianis instituerat idẽ B. Amandus primum Abbatẽ. Verum cũ Episcopalem curam renũciasset, & limina Apostolorũ pro tertia vice, adiũctis sibi SS. Huberto de Maricolis, & Nicasio Elnonensi monacho & discipulo, petere decreuisset, prædicto Ionato Marchianensi Elnonense cœnobiũ similiter duxit cõmen-

*Amandus  
quiescit in  
hoc suo Elnonensi monasterio.*

dandum. Deinde Amando, liminibus Apostolorum visitatis, Elnonensem repetente locū, Marchianas Ionatum repetisse reperimus; vbi post mortē etiam B. Amandi, aliquot lustris regulariter viuens, diuersos vtriusq; sexus ad religionē induxit & castitatem. Eius festiuitas agitur Kalendis Augusti.

Ionato successit beatus Andreas. Beatus namq; Amandus cum Roma tertio rediisset, & aliquot annis Elnone curam Abbatialem gessisset, sentiens corporis sui defectus, euocatum ad se B. Andream, quē in cella Apostolorū Barisiaci primum Abbatē instituerat, vt Elnonē repedaret, imperat, eumq; ad se venientem constituit super familiam suam, quam Elnone collegerat, successorē. Reuocare tamen decreuit in ius monasterij Elnonensis, in possessionē perpetuā, quidquid Barisiaci antea possederat, munificentia Regis Hilderici: quod vsq; in hodiernum diem, iuxta viri Dei dispensationem, irrefragabiliter obseruatur.

Anno eodem, quo idē Andreas Elnonensis Abbas est effectus, sci. sexcentesimo sexagesimo primo, idē beatus Amandus sub Vitaliano Papa, post multiplices atq; felices certaminū cursus, sciēs sibi imminere obit<sup>9</sup> sui diē, ad dedicandā Ecclesiam Apostolorū Petri & Paulli, quā construxerat, cōuocatis Episcopis in Elnone, sanctis Reolo Remensi Archiepiscopo, Mómoleno Nouiomēsi, & Vindiciano Cameracensi, Abbatibus etiam sanctis Bertino Siciensi, Adelberto S. Bauonis, & Ioanne

Blan-

Blandiniensi testamentum de corpore suo, ne ab aliqua Ecclesiastica seculariue persona ab eodem monasterio umquam auferretur, attestantibus & subscribentibus eisdem, anathemate confirmavit. Et post nonagesimo ætatis suæ anno, in Ecclesiam D. Andreae, ante altare gloriosæ Virginis Mariæ VIII. Idus Februarij, spiritum Deo reddidit, & in Ecclesia B. Apostolorum, quam recenter dedicauerat, ab obitu die quarto, honorificè sepelitur, in qua annis fere XVI. incorruptus & incontaminatus requiæuit. Post cuius felicem obitum B. Andreas eius successor & filius, duobus ferè lustris in humanis agens, miraculis coruscus terram relinquens astra petijt, sepultus iuxta patris sui vestigia, anno sexcentesimo septuagesimo. Post aliquot tamen annos, cum corpore B. Amandi, inde translatus est ad grandiore[m] Ecclesiam Diuo martyri Stephano dedicatam. Ad cuius sepulcrum diuina clementia, meritis eius, languoribus plurimorum salutem contulit.

Huic successit B. Ioannes à B. Amando Blandinij Abbas constitutus. Huius temporibus constructa est Ecclesia B. Stephani maior, propter crebra beati Amandi miracula, & B. Amandi corpus in eam transfertur per B. Eligium anno ab obitu eius XV. Qui cū aliquot annis laudabiliter rexisset Ecclesiã, bonorum studiorū ac piorum actuum finē faciens, sanctum Domino spiritū reddidit. *Hæc ex manuscripto Chronico Elnonensi fideliter desumimus.*

**H**Vius cœnobij monachi fuere Milo & Hucbaldus Elnonenses. Hucbaldus, præter vitas Sanctorum varias, de laude Caluorum ad Carolum Caluum Imp. centum triginta sex versus elegantissimè conscripsit: quorum versuum dictio qualibet à littera C. incipit, exstantque typis editi. De Milonis, aliorumq; huius loci monachorum scriptis, vide Bibliothecam nostram Belgicam, breui, vt spero, typis edendam.

## M A R C H I A N E N S E

Monasterium in Flandria, ad Scarpum fl. tertio ferè milliari à Duaco.

**H**Vius cœnobij à S. Rictrude, matrona nobilissima, S. Amandi consilio, instituti exordia habet ex manuscripto Chronico Marchianensi, à quodam eius loci monacho, hortatu Simonis Abb. XX. olim conscripto.

Anno ab incarnatione Domini quingentesimo septuagesimo primo, S. Amandus ex nobilissimis parentibus in Aquitania natus est. Is anno à natiuitate sua quadragesimo, anno verò Lotharij Regis vicesimo quarto, Ecclesiã S. Petri in Blandinio, & post Marchianensem in honorè eiusdè Apostoli, in Adalbaldi Ducis allodio cõstruxit. Nã vir iste generosus, multis locupletabatur possessionibus in pago Flandrensi, Legiensi, Adartensi, Austrebatensi & Pabulensi.

Lotharius Rex Bertrude Regina mortua, secundã duxit vxorẽ Sichildẽ, de qua genuit Hairbertum, anno regni sui quadragesimo

quin-

S. Rictrude, & filia eius  
S. Eusebia, quiescunt Marchianis in feretris argenteis inueneratis.